



O C A gradum eclipticæ uel locum Solis, aut stellæ cuiuscunq; propositum ad contactum horizontis in parte orientis, & nota gradum æquatoris eidem ex eadem parte in contactu horizontis correspondentem, id est, accipe ascensionem obliquam Solis uel stellæ, deinde uolue sphærā uersus occidens, donec idem tui propositi gradus ad contactum horizontis in occidente peruererit, notando iterum gradum æquatoris, quo ibidem in horizonte scilicet orientali horizontem tetigerit, id est, accipe etiam ascensionem obliquam gradus oppositi Solis. Numerus enim graduum à prima in secundam notam, arcum diurnum determinabit, uel etiam numerum graduum prima nota æquatoris abscissum, subtrahe à numero secundæ notæ subiecto, si fieri queat; si non, adde numero secundæ notæ. 360. gra. unam reuolutionem, deinde subtrahe ut supra, residuum nanq; eundem diei arcum tibi commonistrabit. Eum ex integro circulo una scilicet reuolutione primi mobilis, scilicet 360. gradibus deme, & remanebit tibi arcus nocturnus eidē gradui tui propositi correspondens. Exemplo omnia lucidiora fient. Sole 20 gradum Tauri occupante, uolo arcum diurnum huius gradus addiscere pono itaq; 20. Tauri gradum ad contactum horizontis orientalem, & inuenio ibidem 25. gra. ferè æquatoris, cui termino in eodem notam impingo: deinde uoluo globum cum eodem Solis gradu ad occidentalem partem contactus horizontis, & inuenio gradus 250. ferè æquatoris in parte orientali horizontis, facioq; ibidem iterum in æquatore notam. Numerando igitur à prima in secundam notam, uel subtrahendo numerum primæ notæ à numero secundæ notæ, colligo uel residuum inuenio gradus 225. ferè arcum diurnum quæsitum, quem ex integro circulo falcat 360. gradibus demo, remanent gradus 135. arcus nocturnus eiusdem.

Cognito arcu diurno uel nocturno cuiuscunq; puncti cœli,
numerum horarum æqualium, & inæqualium
quantitatum definire.

C A P V T XXXIII.



R C V M diurnum siue nocturnum per præcedentem inuentum, diuide per 12. & id quod exiuerit, erit numerus horarum æqualium, residuum autem de gradibus post diuisionem remanens, partem horæ imperfectæ designat. Nam pro singulis gradibus post diuisionem remanentibus pone 4. minuta horarum, quem item horarum & minutarum numerum, si in 12. æquales secueris particulas, quantitatatem horæ inæqualis uel temporalis utriusq; agnosces. Per hunc etiam Canonem & præcedentem faciliter concludere potes, quanto tempore stellæ supra uel infra terram morantur. Exemplum: Volo arcū diurnum & nocturnum in horis &c. ac quantitatem horæ inæqualis exempli capit is 32. Partior igitur arcum diurnum inuentum, qui est 225. per 15. & exeunt horæ 15. ferè, numerus uidelicet horarum æqualium illius diei. Paritione partiendo arcum nocturnum, scilicet 135. gradus per 15. colligo horas item aquales 9. noctis illius, diuidendo præterea arcus diurni horas inuentas 15. scilicet per 12. quantitas horæ inæqualis profiliat, hora uidelicet 1. minut. 15. Eodem modo arcus nocturni horas 9. scilicet per 12. partior, & exibit quantitas horæ inæqualis nocturna 45. minuta horæ, quod fuit propositum.

Hoc idem aliter, ac facilitiore via per indicem horarum absoluere.

Dr.